

tizo etiam omnia, quæ barbarâ inscitâque physiologiâ, & de cæteris Dei creaturis & de Sole ac Lunâ fabulatur, caballarios esse dicens. Anathematizo apocrypham illam apud Saracenos doctrinam, & promissionem Moamedis, quæ dicit, eum futurum esse paradisi clavigerum, & in eum introducturum esse septuaginta millia Saracenorum justorum: at peccatores à Deo judicatum iri, appensisque ad colla eorum pittaciis, ita & ipsos in paradysum intraturos esse, ac Moamedis libertos nominatum iri. Anathematizo leges à Moamede latas de matrimoniis, & matrimoniorum solutione; de mæchantium mulierum purificatione; de uxorum & pellicum numero, omnemque de talibus impuram ejus doctrinam. Anathematizo Moamedis blasphemiam, quâ dicit, Deum, quem vult, in errorem impellere, & quem vult, in bonam viam ducere; & si DEUS vellet, non inter se bellaturos homines; sed ipsum facere, quod vult, omnisque boni pariter, & mali auctorem ipsum esse; tum Fortunam & Fatum obtinere in omnibus. Anathematizo Moamedis futilitatem, quæ dicit, Dominum, Deumque nostrum Jesum Christum, è Mariâ Moyfis & Aaronis sorore absque semine natum esse, conceptum de verbo ac Spiritu Dei; & cum adhuc infans esset, volucres è luto finxisse, inflatuque suo animantes eas reddidisse; sed & cæcos sanasse, mortuos excitasse, Apostolorumque rogatu à DEO petiisse, & mensâ è cœlis deductâ, eos aluisse; neque crucifixum aut reverâ mortuum esse ut hominem, sed imaginariè solummodò hæc ab Hebræis passum esse, & interrogatum à DEO, an se DEUM in mundo nominârit, negasse, ac dixisse: Tu omnia nôsti, & scis, quòd non nominârim me DEUM, aut Filium tuum: Sum enim servus tuus, nec ita superbus sum, ut sic vocari detrectem. Anathematizo Moamedis doctrinam, quæ dicit, Christum non esse Filium DEI; sed Apostolum, & Prophetam: quoniam, inquit, DEUS communionis socium non habet, & omnes, qui Christum ei communionis socium dicunt, in gehennâ ignis punientur. Anathematizo Moamedis fabulam, in quâ dicit, DEO domum precationis ab Abrahamo, &